



Franciscus Xaverius decanus – diploma Latinum – Bartholomaeus I patriarcha

Valahfridus (Wilfried Stroh)

De Bartholomaeo I patriarcha Constantinopolitano Latinis honoribus ad doctorem h.c. promotus

Vt inter catholicae fidei deditos sanctissimus papa quasi regnat, sic fere omnium orthodoxorum princeps, etsi non eadem potestate praeditus, est patriarcha Constantinopolitanus. Quae urbs olim, ut omnes norunt, a Turcis Mohametanis cum magno dolore Christianorum expugnata ne nunc quidem, cum Turcia inter Europae gentes recipi cupit, in uniuersitate cathedram theologiae Christianae possidet, habet tamen hunc sanctissimum patriarcham, Bartholomaeum I uocatum, qui summo studio id ipsum agere dicitur ut Christiani tam inter se concilientur quam cum ceteris religionibus in pacem et concordiam redeant. Huic proposito seruire debet praesertim *Concilium Panorthodoxum*, quod A.D. 2016 in ipsa urbe Constantini imperatoris Christianissimi futurum est. Quod concilium ei, qui harum rerum peritiores sunt, aequi momenti in oriente futurum esse augurantur ac fuit in occidente notissimum illud Vaticanum Secundum.

Huic igitur uiro de theologia et ecclesiis Christianis maxime merito facultas theologiae catholicae in uniuersitate Monacensi – nam euangelicae facultati, quae adiungere sese percipiebat, id per leges uniuersitatis non licuit – dignitatem doctoris honoris causa conferre statuit. Id autem die XVI m. Mai. MMXIV in Aula festiua uniuersitatis duabus horis et dimidia coram fere mille hominibus sollempni actu rite celebratum est. Diploma Latinum a me iussu theologorum exaratum¹ uoce molli ac dulci Franciscus Xauerius Bischof decanus facultatis recitauit. Patriarcha autem, qui olim in ipsa uniuersitate Monacensi studiis theologicis operam dederat, Germanice respondere maluit. Dicunt eum etiam lingua Demosthenis et Chrysostomi uti scire, sed huius scientiae specimen non dedit, neque attinebat Monachii in urbe Latinissima.

¹ Vna res hic molestior fuit. Nam ego uolueram eum qui uniuersitati praeest more tradito *rectorem magnificum* appellare, qui tamen nunc sermone Germanico „Präsident“ dici mauult (ne quid antiquae uniuersitatis in hoc turbine nouarum rerum seruetur). Reclamauerunt igitur contra *rectoris* nomen iuris consulti uniuersitatis meque iusserunt eum *praesidem* uocare. Ego contentus eo quod non ad *praesidentem* cogerer (quod, si dis placet, nunc multis in usu est) obsecutus sum, et nunc confidenter credo etiam *praesides magnificos* esse posse.